



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. De quibus transigi possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

## §. III.

## De quibus transigi possit.

1. Transigere licet de qualibet re dubia.
2. De crimine etiam capitali, excepto adulterio.
3. Non verò de crimine non capitali, excepto crimine falsi.
4. Non etiam de spiritualibus, interveniente aliquo temporalis.
5. Non de matrimonio.
6. Non de relictis testamento.
7. Non de alimentis futuris.

1. **T**ransigi potest de qualibet re dubia & litigiosa, l. 1. D. eod. de qua vel lis est, vel esse potest, l. 2. Cod. eod. etiam post conclusionem in causa, quia tunc quoque dubius litis est eventus. Non tamen post rem judicatam, vel jurejurando decisam, nisi interposita sit appellatio, aut interponi possit, l. 7. D. eod. aut negetur, ignoreturve judicatum esse, l. Post rem 11. D. eod. aut alio modo res judicata adhuc dubia esse possit, l. Cum is 32. §. 1. D. De condit. indebiti: nam alias, cum per sententiam definita & determinata sit, amplius transactio sine non potest; nec expedit, ut, quæ publico iudicio semel definita sunt, rursus pro privatorum arbitrato, tanquam indefinita & incerta, transactione definiantur.

2. De crimine quoque capitali tam auctori seu accusatori, quam reo, transigere permittitur, l. transigere 18. Cod. eod. quia unicuique sanguinem suum quovis modo licet redimere, l. 1. D. De bonis eorum & c. Nec pro confessio transigens haberi debet, quia magis declinandi gravissimi periculi causa, quam conscientia facinoris transigere censetur, l. fin. D. De pravaricatoribus. Excipitur tamen in d. l. Transigere adulterium, quod licet ex lege Julia capitale non fuerit l. Clodius D. De his, quibus ut indignis, & c. sed postmodum esse cœperit, l. Quamvis Cod. de adulteriis: tamen de eo nominatim lex Julia pacisci vetuit, quia talis conventio in lenocinium incidit; & sufficit, quod postea cœperit capitale esse, ut constat, ex d. l. Transigere & d. l. Quamvis.

3. De aliis autem criminibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem, d. l. Transigere: quia tametsi crimine falsi certa pœna scilicet deportationis, statuta sit, l. 1. §. fin. D. De falsis: cœ-

pit tamen postea esse arbitraria, l. Qui duobus & penult. D. De falsis; ut ad mortem deveniri possit: & proinde ob metum mortis, etiam in hoc crimine, ut in capitali, transigere litigatoribus permittitur.

4. De spiritualibus verò, vel his annexis, non licet transigere, interveniente aliquo temporali, e. Constitutus, 4. c. super eo 7. c. Præterea 9. h. t. sed gratis & amicabiliter componere, d. c. super eo.

5. At in matrimonio nec transactio, nec compositio amicabilis admittitur, e. fin. h. t. quia si semel legitime contractum sit, amplius dissolvi non potest: si verò illegitimè id est contra sacros Canones, reconciliari non potest partium transactione vel compositione.

6. De eo quoque, quod in testamento relictum est transigere non licet, non inspectis verbis testamenti, quia talis transactio captiosa est, ideoque improba, l. 5. D. eod.

7. Similiter nec de futuris alimentis, quamvis ultima voluntate relictis, sine auctore Prætoris & causæ cognitione, l. Cum hi 8. D. eod. ne contenti modico præsentis, facile sibi relictæ, repudient homines, & inde contra testatoris voluntatem fame luborent: de præteritis verò, quia in his hoc periculum cessat, transigere licet, l. 8. Cod. eod.

## §. IV.

## De effectu transactionis.

1. Finem controversæ imponere.
2. Retractari ex post facto nequit.

1. **E**ffectus transactionis est, finem litibus motis & movendis, aut quæ timentur, imponere, l. Fratris Cod. & similibus.

2. Præterea quod semel inita nullo prætextu retractari possit, ne quidem rescripto principis, l. Cum proponas 17. Cod. eod. nec sub prætextu specierum vel instrumentorum postea reparatorum, l. sub prætextu 19. & 29. Cod. eod. quia qui super principali transigit, etiam super accessoris, & iis terventibus, transigit: & cum transactio fiat libero & mutuo consensu, firma manere debet, e. Statuimus, e. Contingit. h. t. quod enim semel placuit, amplius displicere non potest. Atque ita licet pristina actio non sit extincta, quia transactio non est modus tollendæ obligationis à Jure civili introdu-

ctus,